

Peter Lauremberg Philipp-Georgius Ludecus

Disputatio Physica De Coelo Et Stellis

Rostochii: Kilius, 1637

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729463192>

Druck Freier  Zugang



Ru phis 1637

Peter Laurentius

Philipp Georg Lüddecke



50

ΣΥΝ ΘΕΩ
DISPUTATIO PHYSICA
De
COELO
ET STELLIS.

Quam

Permissu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ in almâ Rosarum Academiâ
sub Præsidio


VIRI

Excellentissimi, Experientissimi, Præclarissimiq.
Dn. PETRI LAUREMBERGII,
Phil. & Med. Doct. & Prof. celebratissimi,
Præceptoris, Fautoris, & Promotoris
sui quàm maximè honorandi

Publicè proponit ac defendere conabitur

PHILIPP-GEORGIUS LUDECUS,
Stetinensis

Ad diem 19. April. In Auditorio majori.



ROSTOCHII,

Literis, **NICOLAI KILII,** Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXVII.

Handwritten text in a cursive script, likely a list or inventory of names and titles. The text is written in a dark ink on aged, yellowish paper. The names are arranged in several lines, with some appearing to be titles or descriptions of works. The handwriting is dense and somewhat difficult to decipher due to its cursive nature and the fading of the ink.

THE H. P. GEORGII S. LUDICI
Stetigraphia

ROZOCHE

1. The Nicolai in the Acad. Theop.
A. N. O. D. XXXVI



CUM BONO DEO

Prooemium.



*M*agnam Philosophiæ dignitatem, majorem ejus suavitatem, maximam utilitatem esse, haud quispiam speculo prudentiæ splendens aliquo negabit facile. Quod si enim ejus censenda venit dignitas, tanta certo est, ut & sapientissimus Plato Philosophari dixerit illud, quod assimilari DEO. Apud priscos nulli coronabantur Reges, nisi qui aliquam Philosophiæ cognitionem sibi comparassent antea: & semper ab eorum lateribus hærebant Sophi, consilia suppeditantes summis imperatoribus. Tanta ejus suavitas est, ut & quam plurimi omnibus fortune relictis bonis solitaria sese eradentes vita, ad indaganda hujus studij penetrabilia tempus omne omnes vires conferrent olim. Tanta deniq; ejus existit Utilitas tamq; varia, ut & per longâ oratione opus esset, si eam debitis cohortestare laudibus quis vellet. Tradit sectatoribus utilissimam omnium rerum scientiam, & rem quamlibet per domesticas cognoscere causas docet. Animum sanè nostrum, adeò perfectum reddit, ut ad officia quævis privata ac publica idonei maximè reddamur. Ecquid ergò Philosophiâ vel uberius ad fructum, vel jucundius ad oblectationem, vel melius ad vitam, vel aptius ad dignitatem his in terris dari potest? Quamvis verò res jam ita loquatur, magnumq; numerum ab immortali DEO hominibus datum sit Philosophiæ, inve-

niuntur tamen hodierno etiam seculo nonnulli, hoc Philo-
sophia studium maximè contemnentes: Afferunt scilicet o-
mnium illud rixarum originem esse; nihil adportare utilitatis
secum; honesto potius vix digna homine tractare. Verum
ijs, hoc qui dicunt, natura largior forsàn fuit, & concessit ut
ultra peram, quod ajunt, sapere quodammodo videantur.
Veritatis indagatrix Philosophia est, non rixarum. Utilita-
tem ejus nullam esse contendunt, quoniam, Philosophia quid
sit, ne primis quidem attigerunt digitis, labris gustarunt nul-
lis. Non igitur obstat Idiotarum contemptus, quò minus Phi-
losophia facultatem crebris exercitationibus promovere stu-
deamus. Prodant hoc in sublimi contemnendo studio suam
ignorantiam, nos summà conabimur industrià, ut rei Philo-
sophica veritatem non modò comparare nobis, sed & defende-
re pro virili possimus. Et, quod felix faustumq; Jehova esse
zubeat, eximiam illam naturalis scientiæ de Cælo & Stellis
doctrinam considerare lubet. De quâ in scholis Philosopho-
rum hætenus variè varij excitati discursus fuerunt, opinio-
nes plurimæ, & quidem à se invicem discrepantes. Jam
verò ingeniosorum hominum diligentia res ad certos ali-
quantum veritatis transducta limites est. Illud ergo, quod
veritati consentaneū fuerit in hæc materia, retinebimus; con-
trarium autem negligere studebimus, & de machinâ cæ-
lestium, postea de Stellis
agemus.

THEO-

THEOREMA, I.

Cæli naturalem tradituri constitutionem, cum primis necessitas efflagitat, ut vocis Etymologiam & æquivocationem consideremus.

§. 1. Duo in theorematis dati explicatione notanda sunt: primum est vocis Etymon & origo; alterum æquivocæ ejusdem significationes. Hæc enim præmittere nos invitat melior evadens materiæ præsentis tractatio.

§. 2. Quod Etymologiam concernit, latinis uno verbo Cælum dicitur, quod nonnulli dictum volunt à celando sive occultando, ac si cælum inferiora hæc corpora peripheriâ suâ circumdet & tegat. Alij, & quidem rectius, dicunt nominari cælum à cælando, quod quasi stellarû imagines in eo cælatae appareant. Sic Ambrosius in lib. hexaem. notavit: Cælum, quod impressa Stellarû lumina habeat, cælatum dicitur: sicut argentum, quod signis eminentibus refulget, cælatum vocatur. Hinc vocabulum cæli significationem etiam alicujus instrumenti habet, quo Argentarij & Statuarij potissimum, utuntur: Ita quoque cælestis ille statuarius Jehova potentissimus, cum hujus universitatis conderet pulchritudinem, voluit cælum aliquod nobilissimum addere, ut sublunaria corpora eò melius conservari possent. Et eo modo cælum verè dicitur cælum, quippe cum magnam in hæc inferiora virtutem & efficaciam habeat. Varro putat, cælum quasi κοῖλον nominatum fuisse, h. e. concavum, & sic per œdiphthongum scribendum videretur.

§. 3. Veteres Philosophi cælum æthera nominarunt, quam denominationem Aristoteles interpretatus fuit, desumpti ἀπὸ τοῦ αἰθέρος à perpetuò cursu & motu. Aliàs apud græcos dicitur ἄστρον, quod vocabulum deducitur ab ἀστὴρ & ἄστρον, quod scilicet cælum videri nequeat.

§. 4. Hebræi vocant illud עִשְׁתָּיִם, ubi quidam derivant hanc vocem à particula עִשְׁיִי, & עִשְׁיִי aqve, cui postmodû additur תֵּי Emphaticum cum (-), Verùm hæc derivatio apud probatos autores non

legitur, & rei ipsius veritati contradicit. Non enim cœlum constat ex materiâ aqueâ, sed est corpus simplicissimum, longè ab omnibus alienum elementis. Hujus vocabuli derivatio desumenda potius est ex lingvâ cognatâ, & quidem ex radice קוץ altum esse, siquidem Cœlum inter omnia corpora naturalia altissimo constitutum loco est. Habent etiam Hebræi peculiare nomen Cœli רקיע expansum, quod huic potissimum applicari debet.

§. 5. Tantum de Etymologiâ vocis sufficiat. Dictum etiam in theoremate fuit de æquivocatione hujus vocabuli, quæ uti varia est, ita etiam genuinâ indiget enarratione.

§. 6. Sunt quidam qui acceptiones Cœli dispescunt in theologicas & Philosophicas; cum autem disputatio nostra ad campum Philosophiæ non Theologiæ spectet, illas negligimus, has paucis consideramus. Primò sumitur pro toto expanso, quod est inter terram, & ultimam cœli partem, sic dicitur gen. 1. v. 1. quod in initio DEUS creaverit cœlum & terram, quæ tamen significatio non est hujus loci. Deinde sumitur etiam pro aere, sic sæpius dicuntur volucres cœli, cum tamen accuratè loquendo volucres non in cœlo sed in aere volent. Pro climate cœli. Hinc Horatius dicit lib. 1. Epist. ad Bullat.

Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.

Ipsi Aristoteli non rarò idem est quod tota universitas. Ab ipso etiâ sumitur pro primo mobili sive extremâ mundi Spharâ, quam aliàs firmamentû sive Stellatum cœlum nominat. Item pro complexu omnium orbium cœlestium, ut hæc de re Velcurio Assecla Aristotelis lib. 2. Phys. c. 2. differit.

§. 7. Nos relictis his cœli significationibus, ad eam, quæ usitatissima & huic loco maximè conveniens est, progredimur. Controversatur potissimum inter Philosophos, an vocabulum cœli possit unâ Stellis in cœlesti machinâ habitantibus tribui, & ita universæ regioni æthereæ? Ubi observandum quod Vocabulum Cœli dupliciter considerari queat, latè videl. & strictè, improprie & proprie. Si priora significationem attendimus, quando vid. vocabulum Cœli latè & improprie sumitur, potest etiam Stellis tribui. Quod si autem posteriorem & propriam quidem perpendimus, vox illa machinæ cœlesti, quatenus nudum Stellarum est receptaculum, competit. Verba facile
conci-

conciliantur, modò in rebus detur aliqua convenientia. Verum, ne commiscere videamur ea, quæ natura ipsa distincta voluit, singula speciatim videbimus.

THEOR. II.

Cælum est Corpus naturale simplex atherium, subtilitate praditum eximiâ, maximâ constans quantitate, commune astris currentibus habitaculum prabens:

§. 1. Quod vocabulum cœli attinet, jam ex superioribus patet, in quânam illud accipiendum sit significatione, sc. pro machinâ cœlesti, quatenus ea commune Stellarum currentium receptaculum est.

§. 2. Genus in datâ definitione Cœli est corpus naturale. Nonignoramus inventos quosdam fuisse, qui negaverint cœlum esse corpus naturale, sed admodum ineptè, præter omnem rationem. Certissima namq; nostræ Theseos & assertionis fundamenta sunt. Inter quæ hoc principem sibi vindicat locum meritò, quod cœlo competant Affectiones corporis naturalis, utpote locus, qui ipsi in hac universitate omnium supremus est non infimus. Ecquis ignorat cœlum esse quantum, cum omnia hæc sublunaria corpora suâ quantitate comprehendat? Qui autem corpora comprehendere potest si ipsum non est corpus?

§. 3. Jam quia cœlum est corpus naturale, indubitato sequitur illud etiam habere principia corporis naturalis interna seu constituentia, materiam sc. & formam.

§. 4. Materia machinæ cœlestis ex varijs materiæ Proprietatibus manifestò probatur, & facere corpus sine materiâ est facere panem sine farina. Qualis autem sit illa materia machinæ cœlestis, non sanè minima inter Philosophos est controversia; siquidem aliqui eam cum Elementis communem statuunt, alij verò alienam ab ijs prorsus esse contendunt. At si diversum materiæ respectum consideraverimus, res illucescet facilè. Duplex enim datur materia, prima & secunda. Primam non ex Aristotelis opinione, sed aliorum Philosophorum mente eam dicimus, quæ est substantia generalissima & universalissima

ma per intellectus operationem ab omnibus individujs & speciebus naturalibus abstracta, ad cōstitutionem corporis naturalis generalis & primi passivè concurrens. Hanc sententiam de materiâ primâ approbasse Damascenum patet ex libr. i. c. ii. ubi sic inquit: In creaturis natura communis non reipsâ secundum sese subsistit, sed λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ ratione & cogitatione consideratur. Secundam verò materiâ eam describimus, quæ est Substantia ad suam propriam certamq; formam ordinata, proprium cum eâ constituens corpus. His positjs facile cognosci potest, q̄valis cœlesti machinæ materia competat. Et certum quidem est unam eandemq; materiâ primâ Cœlo cum elementis posse tribui, & cœteris etiam corporibus naturalibus; præsertim cum ea indeterminatè uno eodemq; respectu se ad omnia corpora naturalia habeat. Quod verò materiâ secundam spectat, eam corpus cœleste cum reliqvis inferioribus communem habere simpliciter negam⁹. Illa n. certam determinationem à formâ accipit, quæ pro suâ nobilitate exactuat materiâ, & quò nobilior forma, eò & nobilior materiâ est. Formam autem Cœli longè nobiliorem esse formis elementaribus postmodum probabitur. Unde rectè refutatur tùm eorum falsa opinio, qui machinæ cœlesti materiâ ex aquâ conflata adscribunt, tùm eorum, qui materiâ ex aquâ & igne mixtam, volunt Cœlo tribuere. Manet ergò firma nostra sententia, materiâ cœli nihil aliud esse, quàm quintam & planè alienam essentiam à materiâ quatuor inferiorum corporum simplicium, passivè corpus cœleste constituentem.

§. 5. Hactenus de materiâ machinæ cœlestis, sequitur ejus forma. Si enim corpus naturale cœlum est, alterum quoq; & præcipuum quidem constitutionis suæ principium vid. formam habebit. Qvalis autem forma illa sit, & quò nomine determinanda proprio, non constat inter mortales nec eruditos etiam. Adeo namq; imbecillis est cognitio nostra in hâc mentis caligine, ut præter unam animam rationalem, quæ solius hominis forma est, nullam scire & genuino determinare queamus nomine. Interim tamen notandum est Cœli formam nihil aliud esse quàm principium ejus essentielle activum, cujus beneficio cœlum constituitur. Circa hanc de formâ cœli doctrinam duocum primis absurda nobis vitanda erunt. Primum est Zabarellæ, Pico-

lomini

hominei & aliorum, qui statuunt cœlum per extremam aliquam formam aut Spiritum circum agitari; contra verò nullam formam internam & essentialem habere. Falsissimam hanc esse sententiam, ipsa principiorum constituentium natura indicat. Principia enim corporis naturalis propriè sic dicta non extrinsecè tantum corpus constituendum afficiunt, sed ipsam rei essentiam ingrediuntur, unde internam nominantur. Alterum est Plinij lib. 2. c. 1. Bodini lib. 5. theat. nat. qui statuunt formam machinæ coelestis esse animam quendam vivam, & ipsum cœlum animal intelligens nominare non erubescunt. Contrarium hujus opinionis duabus firmiter rationibus probatur. Prima desumitur ab operationibus cœli, quoniam nullas edit generationes cœlum, quæ ad animam vivam spectant: ergò nec formam vivam seu animam constat. Altera ratio est, quia forma unius rei aut speciei, non potest esse alterius speciei forma, aliàs enim una tantum esset forma, siquidem forma specifica speciem à specie distingvit. Jam autem ex Physicis notum est, animal planè diversam à machinam coelesti speciem esse, cum animal inter corpora mixta ponatur, cœlum verò ad corpora simplicia spectet. Habebunt igitur diversas etiam formas. Ipsum Aristotelem in hac stetit sententiâ patet ex libr. 2. de cœlo c. 2. ubi dicit, Cœlum est corpus $\epsilon\mu\psi\upsilon\chi\omicron\nu$. Verum ubi Aristoteles veritatis transcendere cardinem videtur, auctoritatem ejus suspendere nos jubet Philosophica libertas; præsertim cum rei Philosophicæ veritas non in auctoritate, sed firmis rationibus & ipso experientiæ fundamento fundata penitus sit. Deinde explicatio interpretum Aristotelis falsam nititur hypothesi. Cum enim vident hanc sententiam omni Veritati contradicere, dicunt Aristotelem intelligere cœlum collectim cum spiritibus suprum, qui Cœlum secundum opinionem movere dicuntur. Ast nullas ejusmodi intelligentias motrices dari certissimum est, & ex seqq. apparebit.

§ 6. Fuerunt Principia machinæ coelestis constitutiva & interna, sequuntur Principia ejus externa, quæ paucis modò attingemus. Causa Cœli efficiens nulla alia est, quàm gloriosus ille DEUS omnium rerum Architector. Propinquiorem enim non agnoscit, sed totam suam originem creationi debet, quia inde suum accepit esse. Causa finalis Cœli duplex esse potest, Universalis, ut vid. esset corpus aliquod ad perfectam hujus universitatis constitutionem maximè conducens

B

& omnia

& omnia reliqua corpora sub se comprehendens: Particularis est, ut præberet Stellis domicilium, & hæc inferiora suâ virtute promoveret atq; hæc omnia ad gloriam DEI & hominum utilitatem.

THEOR. III.

Affectiones Cœli sunt, Quantitas maxima, Figura Sphærica, Simplicitas, Puritas, Subtilitas, Perspicuitas, Invisibilitas, Immobilitas, Incorruptibilitas, occulta Influentia.

§. 1. Superius theorema de Principiis machinæ cœlestis egit, sequuntur ratione ordinis ejus Affectiones & Proprietates: Inter quas prima est Quantitas, quæ maxima dicitur, eò quod nullâ propriè sic dicta quantitas invenitur apud species corporum naturalium, quam cœlum non excedat. Maxima etiam dici potest Cœli quantitas ob eam causam, quia virtutem & efficaciam omnium edit prolixissimam. In hoc autem versatur Scientiæ nostræ angustia, an Quantitas hæc Cœli certis determinari numeris queat? Mathematici hæc de re exactius differunt. Et inventus est quidam Italus Franciscus Maurolicus, qui ausus fuit Quantitatem Cœli dare, & eam per vicies quinquagies quater millena, novies mille centum & sexaginta millia germanica mensus est. Sed maxima Cœli distantia & ejus corporis invisibilitas exactam Cœli Quantitatis cognitionem vix concedunt, quamvis hæc de materiâ Mathematicis dijudicandum relinquamus.

§. 2. Altera machinæ Cœlestis affectio est figura eaq; rotunda. Cœlum habere figuram & ab alicujus corporis conditionibus, & à quantitate cœli probatur. Quod autem Cœli figura sit rotunda sive Sphærica, ex ejus perfectione (quam tamen ita simpliciter accipere quis non velit, sed κατὰ τὴν secundum incorruptibilitatem & inseparabilitatem formæ à materiâ) demonstrari potest. Perfectissimum enim corpus perfectissimâ quoq; figurâ gaudet, quæ est rotunda.

§. 3. Tertia, quæ Cœlo competit, Affectio est Simplicitas. Ubi observandum est Simpliciter sumi dupliciter, vel pro exclusione compositionis materiæ & formæ, vel pro exclusione mixtionis, quæ sit

fit per compositionem alterius corporis. Si Prior respectus Simplicitatis attenditur, Simplicitas cœlo non competit; quippe quod ita simplex non est, ut expers sit materiæ & formæ; & inde sequeretur Cœlum non esse corpus naturale, cum illud supra probaverimus. Altero autem respectu cœlum simplex dicitur, quando vocabulum simplex opponitur mixto. Simplicissimum sanè corpus Cœlum est, si reliqua quatuor conspiciamus corpora quæ Elementorum nomine audiuntur. Nam hæc quidem sunt corpora simplicia, sed si relativè cum cœlo comparantur, illa longius suâ simplicitate superat cœlum. Subtilius quid de Cœlo est imaginandum, quam vel aqua, vel aër, vel ignis. Non enim tam crassum est corpus ut Elementa, licet hæc minimam crassitiem habeant in respectu ad corpora mixta. Simplicitatem autem cœli cum ex loco ejus altissimo, tum ex incorruptibilitate, commonstrare satis possumus.

§. 3. Ex hac machinæ celestis simplicitate profluunt duæ proprietates aliæ, quæ sunt, Subtilitas insignis, & Puritas, unde canon ille Physicus: Nullum est in mundo corpus tenuius purius & subtilius Cœlo. Quod enim simplicitate gaudet aliquâ, & omni mixtione caret, subtile simul est, omnemque impuritatis maculam rejicit. Stellarum quoque motus Subtilitatem Cœli comprobat; Videmus Planetas modò ascendere modo descendere, quod sanè fieri nõ posset si cœlũ duræ & crassæ esset Substantiæ. Hic occurrit gravis illa, inter maximæ etiã eruditionis Philosophos orta controversia, an cœlum sit aliquod corpus solidum & durum? Pythagoras, Parmenides, Plato, & Aristoteles affirmativam tenuerunt hujus quæstionis sententiam, firmissimè statuentes, cœlum constare substantiã quãdam solidissimã; adeò, ut neque divisionem neque distractionem recipere possit, & astra partes esse ipsorum orbium, ac cum illis ferri non proprio excitata motu. Verùm crassa admodum est opinio, simplicissimo & omnium corporum naturalium subtilissimo Cœlo velle duritiem adscribere, cum sibi invicem contrariari videantur plurimum. Argumenta quæ habent pro affirmativâ Sententiã, partim ex Scripturâ, partim ex aliquâ hypothesi desumpta sunt. Adducunt dictum illud Job. c. 37. v. 18. quo dicitur cœlum firmum esse instar aris, juxta antiquam versionem, & instar speculi fusi, unde illud Homeri, ἄρηνος πολυχαλκός i. e. multi aris cœ-

lum. At hæc dicta intelligenda sunt de firmitate & stabili duratione
cœli, non de soliditate aut duritiæ. Ex hypothefi etiam argumentum
affertur. Statuunt enim Stellas non per se, ex interno aliquo Princi-
pio, sed cum cœlesti machinâ unâ circumvolvi, & inde infallibili-
ter fequi, cœlum esse corpus aliquod solidum. Ad quod dupliciter
respondemus. Primò negamus falsam illam hypothefin, quâ statu-
unt cœlum propriè sic dictum circumgyrari cum Stellis; præsertim
cum ne causam quidem probabilem habeant, quâ id stabilire possint.
Deinde posito, nequaquam autem concessio, (vergit enim contra om-
nem rationem & ipsius naturæ experimentum) astra cum cœlo
ferri, non ex inde probatur, cœlum esse corpus solidum, & quidem,
ut Valefius loquitur in sacrâ Philosophiâ cap. 51. solidius Adamante.
Potuit enim gloriôsus ille DEUS in summâ ejusmodi Subtilitate,
talem motum & sideribus circumvolutionem concedere. B. Kecker-
mannus insignis aliàs Philosophus huic etiam assentire videtur sen-
tentia, licet tam crassè non aberret, quàm reliqui Aristotelis secta-
tores & interpretes. Duo potissimum habet argumenta, primùm
desumitur à testimonio sensuum. Sic enim inquit: Indicat sensus So-
lem & reliqua sidera, quæ sunt ejusdem substantiæ cum reliquo cor-
pore cœlesti, eandem semper retinere magnitudinem & rotundita-
tem. Quod non fieret si esset corpus fluidum & dissipabile. At om-
nis hujus argumenti vis in eo consistit, quod statuat Kecker-
mannus Stellas esse ejusdem naturæ cum toto cœlo. Sublatâ jam fal-
sâ hæc hypothefi totum tollitur argumentum. Stellas autem non
esse ejusdem naturæ cum toto cœlo vel inde tantum patet, quod
Cœlum non æqvè in sensum visus incurrat, quàm Stella. Alterum.
Keckermanni pro soliditate cœlestis machinæ argumentum de-
ducitur à fugâ vacui. Et quidem ita argumentari vult: Quæcunq;
sententia statuit aliud corpus inferius ad evitandam fugam vacui a-
scendere ad locum cœli, cum ejus partes à se invicem per motum
Stellarum divelluntur, ea est absurda. Atqui sententia tribuens Cœlo
subtilitatem facit illud. Erit igitur ea absurda. Negatur ex præmissis
minor. Nunquam enim à sanioribus Philosophis concessum fuit,
per corpus aliud inferius compleri machinæ cœlestis vacuum, Stella-
rum transitu causatum. Potest ipsum cœlum, prout est simplicis &
sub-

subtilis cuiusdam naturæ in locum ipsius vacui succedere, nec opus est ut sublunare corpus huc referatur. Tum fieret etiam mixtio Elementaris, quæ cœlo nequaquam tribui debet. Vera igitur est & manet nostra sententia, quæ denegamus cœlo soliditatem ac duritiem; contra verò statuimus illud esse Subtilissimum, simplicissimum, purissimum quoddam corpus.

§. 4. Quarta machinæ cœlestis affectio est Perspicuitas, quæ quasi fundamentum habet in subtilitate ejusdem corporis. Quod enim subtilissimum est facile speciebus visibilibus transitum permittit; siquidem perspicuum id esse dicitur, quod per lumen aliunde dilatatum idoneum colorata videndi medium præbet.

§. 5. Subtilitatis & Perspicuitatis comes est Invisibilitas, quæ de cœlo probatur optimè. Certum namque est duo tantum objecta visus esse, Colorem sc. & lucem. Jam verò neutrum ex his cœlo competit. Color non potest cœlo tribui, quia est attributum corporis alicujus mixti, cœlum autem est corpus simplex. Neque lux etiam cœlo adscribenda est, quia Stellæ tantum sunt lucidæ non machina cœlestis. Quin, ær, quæquam cœlo multo minus subtilis videri tamen nequit. Qui ergo cœlum videri posset, cum longè sit superius aère, longè purius, subtilius, tenuius?

§. 6. Sexta machinæ cœlestis affectio est immobilitas seu Quies localis. Nihil enim est, quod aliquis à motu Stellarum motum cœlestis machinæ demonstrare velit. Negamus etenim Stellas se habere ad machinam cœlestem ut partes. Deinde scimus Stellas ex interno proprioque non externo moveri Principio. Verum autem est axioma illud Physicum quo dicitur, Omnis motus fit super immobili, quod hæc in parte negligendum non est.

§. 7. Septima Cœli proprietas est incorruptibilitas; siquidem ejusmodi corpus quod simplicitate gaudet, nullasque admittit mixtiones, & ita causas contrarias nullas habet, planè corruptibilitati non est obnoxium. Nullum quoque datur aliud corpus quod in cœlum agere, & illud immutare posset.

§. 8. Tandem octavo Philosophi cœlo attribuunt occultam influentiam, quæ nihil aliud est, quàm concursus aliquis virtualis, quod cœlum non otiosum sed laboriosum existit. Et licet inveniantur aliqui

qui occultam hanc cœli influentiam negantes, nihil tamen solidi rationis adferunt loco. Distingvunt quidem inter actionem permanentem & transeuntem, illam largiuntur cœlo, hanc adimunt. Sed admōdum præposterè. Ideò cœlum supremo constitutum loco est, maximamq; accepit amplitudinem, ut inferiora hæc corpora suâ virtute promoveret. Non ergò tam pretiosa forma otiosa erit. Et tantum de machinâ cœlesti dictum iufficiat, sequuntur Stellæ.

THEOR. IV.

Stellæ sunt Corpora naturalia simplicia, cœlestia, globosa, per naturam propriam in cœlo mobilia, ex luce dispersa primi Creationis diei, ad salutem inferiorum à DEO condita.

§. 1. Fuit hætenus consideratio machinæ cœlestis sive Cœli propriè sic dicti, sequuntur ea corpora, quibus cœlum hoc domicilium præbet vid. Stellæ. Hic Primò notamus, vocis Etymon. Stella autem derivatur à græco verbo *στέλλειν*, quod quasi radios suos emittant, sidera. Alij verò hanc derivant vocem à Stillando sive scintillando.

§. 2. Notandum est deinde Genus, quod idem cum machinâ cœlesti Stellæ habent. Sunt namq; corpora naturalia simplicia æthereà. Non autem hinc concludere licet Stellas esse partes cœli, ut Aristoteles & ejus interpretes volunt. Falsissimum namq; illud est, si partes veras intelligere velimus. Habent enim Stellæ longè alienam à cœlo naturam quod ipse sensus testatur. Hinc ab insigni quodam hujus ætatis Philosopho Stellæ non aliter partes cœli, quàm pisces aquæ, aves hominesq; aëris vocari possunt partes. Largimur quidem illis Stellas esse contenta Cœli; non a. sequitur: Contentum est pars propriè dicta continentis.

§. 3. Tertiò notanda venit Causa efficiens Stellarum, quæ ut est omnium corporum naturalium ita & Stellarum gloriosus ille DEUS universi mundi Monarcha, qui quarto creationis die lumina in firmamento cœli condidit gen. I. v. 14.

§. 4. Materia Stellarum ex quâ nihil aliud est, quàm primæva & primo die creata lux, cum diceret Jehova altissimus *אור*, lux autem

tem

tem illa, ut testatur sequens versiculus, valdè bona fuerit **וְהָיָה כִּי שֶׁבַח יְהוָה מֵעַתָּה** Maximè igitur probabile est lucem hanc à DEO non fuisse ejectam, sed quasi in certos globos congregatam. Subiectum sive potius continens Stellarum, ut supra diximus est machina coelestis.

S. 5. Quòd formam Stellarum spectat, eam quidem quoad nomen certum ignoramus; scimus tamen, quòd sit principium earum essentialè **ἐνεργητικόν**, ex quo omnes actiones & affectiones Stellarum resultant, & per quòd Stellæ sunt id, quòd sunt.

S. 6. Finistandem Stellarum in hoc theoremate dato nobis considerandus est, qui est vel remotus vel propinquus. Remotus Stellarum finis est, Gloria DEI, incolumitas inferiorum corporum & humani præsertim generis, propter quòd omnia sunt creata. Propinquus est; calor excitatio, temporum distinctio, hyemis ab æstate, diæ à nocte; & operationes aliæ, quas edunt.

THEOR. V.

Affectiones Stellarum sunt sex, Quantitas, Figura, Lux, Visibilitas, motus, & influxus.

S. 1. Vidimus Stellarum causas tam externas quàm internas, sequuntur earum affectiones & proprietates. Quarum prima est Quantitas. Ecquis enim negaret Stellas esse quantas, cum maximè tales apparent? Quis non videt solem quantum esse? Qui, quanquam ingenti intervallo à nobis distet, videri tamen potest: quæ sanè ingens est distantia: magnam igitur ejus etiam esse quantitatem facillè patet. Id quòd observare possunt ij, qui in altissimis constituti montibus vix turre, nedum animalia bruta animadvertere possunt. Longè major est Solis & reliquarum Stellarum à nobis distantia, & nihilominus in visum incurunt. Tum Quantitas Stellis etiam competit ideo, quia sunt corpora naturalia. Corpus autem naturale esse & destitui corporis naturalis affectionibus absurdum est.

S. 2. Secunda Stellarum Affectio est Figura eaq; rotunda, quæ duobus potissimum fundamentis probatur. Primum est ipse sensus. Quanquam enim maximam à nobis habeant distantiam, semper ta-

men rotundæ apparent, & in quocunq; terrarum etiam loco fuerint eandem repræsentant figuram. Altera ratio est, quod Stellis tanquam simplicissimis corporibus simplicissima quoq; sit tribuenda figura, quæ consistit in solâ rotunditate.

§. 3. Tertia Stellarum proprietas Lux est, omnes qualitates, quæcunq; corporibus tribui solent, suâ pulchritudine & præstantiâ superans longius. D. Ambrosius lib. i. Hexam. c. 9. vocat Lucem, primam Mundi tanquam magnæ domus gratiam. Et D. Augustinus lib. 2. de libero arbitr. Lucem ait esse omni auro nobiliorem. Est autem Lux Qualitas realis inhærens corpori lucido, per quam ipsum corpus lucidum est, & alia illuminantur. Hic duo cum primis observatione digna occurrunt. Primum est lucem non esse aliquam Substantiam sed, Qualitatem; alterum non esse qualitatem intentionalem sed inhærentem. Manet enim semper in corpore lucido, & nunquam ex eo transit. A luce provenit Radius, qui & ipse est Qualitas à luce exiitens Triplex aliâs datur Radius, Rectus, obliquus, & reflexus. Rectus Radius est qui sine obstaculo rectâ pergit à luminoso corpore & liberè transit. Obliquus est, qui sine impedimento corporis opaci procedit obliquè. Reflexus qui allisus ad corpus solidum repercutitur & revertitur ad suum principium. Ex luce & radio alia adhuc provenit qualitas, Lumen; & est Lucis imago sive repræsentatio, seu Lux quasi tertiâ, in omnes mediâ pellucidi partes diffusa, quocunq; distenditur radius. Est ergo discrimen aliquod inter Radium & lumen, Radius à luce tantum provenit; lumen verò à luce & radio. Lumen autem est Qualitas cum intentionalis tum realis, non hærens in corpore lucido, sed à luce in aerem diffusa, eumq; luminosum reddens.

§. 4. Sequitur Quarta Stellarum Affectio, vid. Visibilitas, quæ quasi fundata est in luce. Constat enim ex superioribus duo tantum, visus objecta esse Lucem & colorem. Quoniam autem Stellæ sunt corpora lucida, lucis beneficio videri possunt. Quod autem tempore diurno Stellæ fixæ non videantur, ratio sumenda est à majoris luminis præsentia.

§. 5. Quinta Stellarum proprietas motus est, de quo in Astronomia agi præcipuè solet; sed quia est Affectio corporis naturalis pauca de eo, & quidem ad Physicam spectantia, dicemus. Motum autem
compe-

competere Stellis sensus ipse commonstrat. Sol namq; oritur & occidit, & Stellas etiam fixas circumrotari cernimus. In hoc modo consistit Controversia, unde motus ille proveniat? Aristotelici crassum circa hanc doctrinam errorem fovent; Fingunt Substantias aliquas spirituales, & ab ijs astra moveri crebro contendunt. Sed falsa hæc est opinio. Rationes enim quibus stabilire conantur eam, cum libro scripturæ tum naturæ manifestò contrariantur. Libro quidem scripturæ, quia Aristoteles cælum sempiternum, & lationes, ut loquitur lib. 12. c. 6. Metaphyl. sempiternas facit, cum tamen primum Geneseos caput expressè dicat, omnia à DEO in tempore creata esse. Libro naturæ, quoniam impossibile est, factum esse aliquando aut per creationem, aut per alium modum, & tamen æternum esse. Factum autem esse cælum cum Stellis, & totum etiam mundum, indeliquet: quia aliàs daretur progressus in infinitum, à quo natura abhorret, & certis potius terminis cõtenta est. Nos firmiter cum sanioribus Philosophis credimus, stellas, ut supra etiã de machinã cœlesti diximus, moveri ab interno Principio, vid. per formam specificam, quæ totius compositi operationes perficit. Eaq; nostra sententia cum à conditione cujuscunq; corporis naturalis, quæ interna principia & affectiones ea in sequentes internas requirit, tum ex absurdo, quod ex Aristotelis sententiã fluit, confirmatur. Quod si enim vult Stellas moveri per spiritus, sequitur eas corruptibiles esse; siquidem illud, quod per vim aliquam externam excitatur violentum est, & diuturnum esse nequit. Sunt manifestæ contradictiones.

§. 6. Sequitur ultima Stellarum affectio, Vis & efficacia, quam habent in hæc inferiora. Formæ enim nobilitas & præstantia satis eam commonstrat, & maxima Quantitas, quæ præ omnibus corporibus Cœlo & Stellis tribuitur, maximam etiam arguit Virtutem. Ipsa quoq; experientia testatur Cœli operationem & Stellarum Virtutem: quippe cum nostra corpora sentiant in plenilunio majorem humorum copiam quàm in Novilunio &c. Et hæc quidem vis sive operatio siderum considerari dupliciter potest, vel ut ab Astris proximè oritur & cum primis à sole, qualis est vis calefactiva: vel ut in rebus non cœlestibus generatim & communiter occupata est.

§. 7. Quod vim calefactivam attinet, notandum est ab initio,
C. quo

quomodo calor Soli alijsq; recte tribuatur Stellis: ad quod sciendum
calorem illis non formaliter & in hærenter; sed virtualiter ac effecti-
ve conferri. Ratio est hæc, quoniam Astra sunt corpora planè diver-
sa ab Elementis, & idcirco qualitates elementares nullas habent. In-
veniuntur nonnulli, Solem formaliter calidum esse statuentes, &
quoniam ejusmodi non sit, qualis invenitur in corporibus Elemen-
taribus, quod tamen aliis suæ formæ conveniens esse possit. Verum
Experientia contrarium dicitur. Si namq; Sol formaliter calidus
esset, & per se inferioribus his communicaret calorem, utiq; in ex-
celsis montibus æstivo tempore non inveniretur frigus; siquidem i-
gnis vicinora magis & citius calefacit quam remotiora. His præ-
suppositis quæritur jam de modo calefaciendi? Aristoteles & ejus In-
terpretes Astra per motum calefacere statuunt. At falsis admodum
rationibus nititur hæc opinio. Putat sc. Aristoteles Coelum corpus
esse solidum constans ex orbibus realibus, à quibus circumducantur
inferiores sphaerae. Per ejusmodi circumductionem excitari motum,
& deniq; per illum motum Astra calefacere. Intricata, Confusa, &
falsa fanè doctrina, quam Arist. de hoc calefaciendi modo, qui per
motum fieri debet, tradit lib. Meteorol. cap. 3. Coelum corpus esse
solidum ex orbibus realibus constans falsissimum est; siquidem non
statim motus aliquis Stellarum & Planetarum certum orbem realem
sibi requirit. Deinde certum est, motum non calorem per accidens
etiam producere, nisi detur aliquis contactus. Sol verò & alia side-
ra non attingunt hæc inferiora. Nam juxta ipsum Aristotelem in-
terposita est Sphaera Lunæ, Sphaera Veneris & Mercurij. Quomodo
igitur per attritionem Sol excitabit motum? quomodo per motum
postea calor dabitur? Sed excipit Aristoteles, Solis calorem per or-
bem Lunæ ad hæc inferiora corpora deduci. Cui Zabarell. respon-
dissè animadvertimus cap. 2. de cal. coel. ubi sic inquit: At orbis
Lunæ nullius caloris est capax, nec ulla pars cœlestis corporis cale-
fieri aut refrigerari potest. Nulla igitur ratione videntur hæc infe-
riora corpora posse à corpore Solis calefieri per attritionem. Hæc
ille. Qui illum, ut paucis rem declarem, calefaciendi modum cum
Aristotele reservat, ab innumeris vix absurdis & confusionibus sese
liberabit.

§. 8. Tres

§. 8. Tres dantur inter hodiernos Philosophos modi, quibus Sol calefacere dicitur. Primus est, quando Sol ignem in corporibus mixtis ligatum solvit; & ad actum socius secundum promovet. Constant omnia corpora mixta ex quatuor Elementis, & sic etiam ex igne. Ignis verò propter præsentiam aliorum Elementorum, quibus cum constrictus & circumductus est, actum suum operativum plenè exercere nequit. Postquam Sol illà vi, quâ pollet calefactivâ, accedit, ignis antea ligatus resolvitur. Sic tempore æstivo nonnullibi locorum videmus totas Sylvas conflagrare. Ubi ratio alia nulla dari potest, quàm ea, quod ignis in arboribus latens constrictus quasi per commixtionem reliquorum Elementorum Solis efficaciam resolvatur.

§. 9. Secundus, Sol quo calefacere dicitur, modus est Francisci Valesii in Philos. sacrâ cap. 1. pag. 30. ubi statuit, Solem non per se sed per aliud excitare calorem, sc. per ignem tanquam proprium caloris Subjectum, ut ita Solaris calor nihil aliud sit, quàm calor ignis, solis fulgore, quo naturaliter trahitur, modificatus. Cujus sententiæ ratio dari potest illa, quod Soli per accidens tantum, igni verò per se tanquam proprio Subjecto Calor tribuatur. Deinde Ipsa testatur Experientia, æstivo tempore calorem in aëre hærentem igneum esse, quod ex inflammationibus, quæ illum insequuntur, patet. Jam ab alicujus rei proprio ad ipsam rem optima valet consequentia.

§. 10. Tertius modus, quo Sol calefacere perhibetur, vim eam calefaciendi radiis solaribus, iisque refractis tribuit. Experientia tradit causam hujus opinionis. Æstivo tempore, ubi Refractio radiorum major existit, major etiam est calor, quàm hyberno. Observandum, tamen hic est non principaliter radijs tribuendam esse operationem calefactivam Solis, sed secundariò tanquam medijs, quibus Vires calefactivæ Solis peculiare ad inferiora hæc transferuntur corpora. Tum per ipsam Experientiam constat, in maritimis oris, ubi densiores assurgunt vapores, calorem majorem esse eo, qui ex fortiori radiorum refractione proficiscitur. Hi tres sunt illi calefactionis solaris modi, qui, cum dextrè intelliguntur, excusari quomodo possunt, fundamenta cum Experientiæ in naturâ tum rationum habentes.

§. 11. Sequitur altera Astrorum operatio, quæ in rebus non celestibus communiter tantum occupata est. De quâ Solis & reliquarum Stellarum efficaciam dubitatum hæctenus nonnullibi fuit, ipsâ scilicet Experience. Eum namque in finem sunt condita Astra, ut non tantum annos, dies distinguerent & tempora, sed etiam tempestates facerent, inferiora hæc corpora suâ virtute promoverent, & sic ad Universitatis hujus conservationem conferrent plurimum.

§. 12. Quousque autem se extendat hæc operatio, & qui gradus ejusdem, controversatur. Observandum autem est causam aliquam esse remotam, aliam proximam, aliam universalem, aliam particularem. Concedimus Solem & Astra operari aut influere in hæc inferiora instar causarum communium, quæ non sunt determinata ad certum aliquem effectum producendum, sed indifferenter se habent ad omnia corpora naturalia. Quemadmodum in logicis Genus uni Speciei non magis suam communicat naturam quam alteri.

§. 13. Errant igitur maxime Aristotelici, dum generationem æquivocant Soli i. e. Universali causæ, particularem effectum tribuere conantur. Statuunt scilicet metalla effici virtute siderum, præsertim Solis. Rationem hujus opinionis ponunt in eo, quod metalla sint corpora mixta, & ita præstantioris naturæ quam Elementa. Ideoque ijs etiam alium ascribendum esse progenitorem videtur Solem. Est autem falsa ejusmodi opinio. Norunt namque Philosophi, quod quælibet res naturalis proximè & immediatè producatur à suâ ipsius naturâ & Principio interno; Astra verò promoveant modò vires illas naturæ specificæ.

§. 14. Idem judicium ferri debet merito de animalibus ignobilioribus, ut potelumbicis, Erucis, Scarabæis, & id genus alijs, in quorum generationibus jam adest forma sive semina quoddam Principium, quod postmodum virtute solis producitur. Alia quod attinet animalia perfectiore modo viventia, de his dubitatum nunquam inter Aristotelicos etiam fuit, ad illa promovenda Astra tantum universaliter concurrere. Unde canon Aristotelis etiam talis est. Sol & homo generant hominem. Sol ut causa universalis, homo ut causa particularis & proxima.

§. 15. Circa hanc de Astrorum operatione doctrinam aliqua adhuc

huc restat examinanda quæstio, Quomodo videlicet Sol & Astra influant in voluntates hominum? Ad quam dupliciter respondemus. Primò enim accuratè loquendo, Astra non possunt agere in animam hominis, mediante tamen corpore seu per instrumenta ejusdem, agere & operari possunt, dum variè alterant & efficiunt ea, sine quibus anima in homine nihil operatur. Hinc secundò distingvimus inter influxum directum, & immediatum & mediatum. Illum Astris non largimur, hunc concedimus.

THEOR. VI.

Stellæ sunt vel usitatae vel inusitatae: Illæ sunt vel fixæ vel errantes: Hæ à Mathematicis ut Cometae cælestes ponuntur.

S. 1. Fuerunt Principia & Affectiones Stellarum: jam restat, ut paucis etiam divisionem earum videamus. In theoremate communem Stellarum divisionem retinimus; ast ubi res accuratius circumspicitur, operæ pretium non putamus, ut de Stellis inusitatis Physicus multum tractare velit. Ratio hæc esse potest, quoniam non sunt ordinaria corpora naturalia, nec semper dantur. Physici autem est tractare corpus naturale, quatenus naturale est & consveta naturæ lege existit.

S. 2. Quod Stellæ usitatas concernit, eas dividimus in fixas & errantes. Fixæ Stellæ sunt, quæ in parte cæli superiore consistentes motu vix animadvertibili moventur, unde & fixæ dicuntur, quod quasi fixæ appareant, & semper eundem à se in vicem situm retinent. Numerum earum exactò quis scire nequit. Nobiliores tamen ad certos asterismos, ut loquuntur Mathematici, reduxerunt. Quorum alij sunt in Zodiaco, alij extra illum. In Zodiaco duodecim numerantur juxta communes versus:

*Sunt Ariet, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Librag., Scorpius, Arcitenens, Capet, Amphora, pisces.*

Quia autem extra Zodiacum existunt & aliàs extremi vocantur sunt

vel septentrionales, vel meridionales. Septentrionales numerantur
21. & sequentibus versiculis comprehenduntur:

*Ursa, deinde Draco, Cepheus, Bootesq. Corona
Hercles, & Lyra, Olor, cum Cassiopeja, Perseus,
Auriga, Anguivenens, serpens, Aquila, atq. Sagitta.
Pegasus, Hinnulus, Andromede, Delphing, Trigonum.*

Meridionales Asterismi sunt quindecim-juxta versus:

*Cetus & Eridanus, Lepus & Nimbosus Orion,
Sirius & Procyon, Argo ratis; Hydra, Craterq.
Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corollaq. piscis.*

Locum Stellæ fixæ in cœlo omnium supremum habent. Octavam enim Sphœram, ut vocari solet, inhabitant; Sed plura hoc loco de ijs narrare nolumus; præsertim cum exactior Stellarum tractatio magis ad Astronomiam spectet.

§. 3. Stellæ errantes alio nomine dicuntur planetæ, & infra Stellas fixas in loco his corporibus inferioribus viciniore moventur motu sanè vario. Numerus earum septenarius est. Supremum locum tenet Frigidus & Siccus Saturnus, alterum temperatæ Virtutis Jupiter, tertium Mars flammeus, medium Planetarum Princeps Sol rubicundus, illum insequitur blanda Venus, luminis splendidissimi Planeta; hæc Mercurius, ultimo tandem loco Speculum illud à sole illustratum Luna constituitur. Sed plura de his etiam dicere supervacaneum ducimus.

§. 3. Quare, ne falcem in alienam messem mittere videamur, & disciplinarû objecta cõfundere, hîc hujus disputationis nostræ finem ponimus. DEO cum primis sit laus & gloria, quod in hæc mentis caligine beneficentiæ suæ magnitudinem concesserit nobis, ut imensa ejus opera secundum naturæ constitutionem examinare possimus aliquantulum. Omnes etiam bonos, quibus libertas Philosophica & rei veritas cordi est, obnixè rogamus, ne hæc nostram disputationem in malam partem Suscipiant.

CORO-

COROLLARIA PHYSICA

I. *An ab Aristotelis vel alterius cujusdam Philosophi
auctoritate dependeat rei Philosophica veritas? N. Fuit e-
nim homo Aristoteles & sic aberrare facile potuit.*

II. *An Privatio sit Principium aliquod generale Phy-
sicum? N. Quis enim Caelo & Stellis privationem compe-
sere contendet?*

III. *An Materia prima ita differat à Materiâ secunda
ut genus à specie aut indiv?*

IV. *An dentur Orbes reales in Caelo? N.*

V. *An Astris, dum in mores hominum agunt, absoluta
& infallibilis necessitas rectè tribuatur? N.*

VI. *An Aër vel aliud etiam Elementum nobis proxi-
mum, sit purum? N.*



AD

Præstantissimum & literatissimum

*Dn. Respondentem amicum no-
strum singulariter colendum.*

ΟΥΧ ὅτι κείνα, ἀπερ χροῖ ἐν εὐρείῃ ὑπάρχει
τῷ θύμῳ φράζειν, καὶ τῇ μεγάλῃ σκοπέεσθαι
ἀσκήσει, παρέχει πρὶν καὶ ἰεραστὸν ἔπαινον,
ἀλλὰ καὶ αὐτῇ, ἀπερ καθαρῶταί τῷ ἐν ὀλύμπῳ
τυφρόφῳ τῆσι φρεσὶν εἰσφέρειν καὶ θεάσειν.
Ἄξιόν ἐστι λόγῳ καὶ τῷ ὑψιζύγῳ αἶμα.
Πλείεσι τήνδε φύσιν θεῶσθαι τῶν ἐπιγείων
συμπράττεισι τ' ὀπίσθηται αἰ πρῶται ἐκάνοισι
Ὡς μεγάλην σπυδὴν ἦδη, ἀγαπητὴ ἑταῖρε,

Τῶν

Τῶν περὶ ἔργων ἔχεις, γνώριον ἅπαντι:
Τοῖο κλυτὸν ἐπ' αἰ λαμπρὸν Φῶς ἡλίου,
Καὶ μῆνησ' αἰγλήν, καὶ ἄστρα πὰ λαμπρῶντα
Σκέπτο' μενος, πάντων τῶν θαυμαστῶν ἀπαρτίσμα
Τῆνδε ἐνεργεῖν: δια τῶν αἰ εὐδοκίμησιν.
Συγχαίρω πόνον, καὶ ἔμμενε πρᾶξι, ἔτωσ'
Ἄλυσ' αἰεὶ ἔση τιμῆσ', καὶ ἐπίδοξος ὑπάρξεισ'.

ἐποίησεν

JACOBUS WENDT

Starg. Pom.


AN Genium extollat, vigiles an Musa labores
MI PHILIPPE canat, nescius ipse mei.
Nam que summittis pralo ζητήματα δοκτα,
Judicioq; Sophiam ducere Musa vetat.
Te Celi macerant Structura decusq; perenne,
Quaq; via currant Sidera, quotq; siens.
Ingenio dignum conamen: Perge PHILIPPE,
Et te perpetuo lausq; decusq; manet.

Amico suo certiss. l. m. apposuit

JOAN. PHILIP. MEIER.

Sed. Pom.

SOLIDEO GLORIA.



huc restat examinanda quæstio, Quomodo videlicet
fluant in voluntates hominum? Ad quam duplicem
Primò enim accuratè loquendo, Astra non possunt
hominis, mediante tamen corpore seu per instru-
gere & operari possunt, dum variè alterant & effi-
bus anima in homine nihil operatur. Hinc secun-
inter influxum directum, & immediatum & medi-
non largimur, hunc concedimus.

THEOR. VI.

*Stellæ sunt vel usitatae vel inusitatae
sunt vel fixæ vel errantes: Hæ autem
ut Cometae cælestes ponuntur.*

S. 1. Fuerunt Principia & Affectiones Stellarum
paucis etiam divisionem earum videamus. In di-
nem Stellarum divisionem retinimus; ast ubi re-
spicitur, operæ pretium non putamus, ut de Stellis
multum tractare velit. Ratio hæc esse potest, quod
dinaria corpora naturalia, nec semper dantur.
tractare corpus naturale, quatenus naturale est
lege existit.

S. 2. Quod Stellæ usitatae concernit, eas
errantes. Fixæ Stellæ sunt, quæ in parte cæli
motu vix animadvertibili moventur, unde &
quasi fixæ apparent, & semper eundem à se in
Numerum earum exactò quis scire nequit. Nobis
tos asterismos, ut loquuntur Mathematici, red-
sunt in Zodiaco, alij extra illum. In Zodiaco du-
juxta communes versus:

*Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer
Librag, Scorpius, Arcitenens, Cape*

Quia autem extra Zodiacum existunt & aliæ es-

C3



the scale towards document